



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

XXXVIII. De hebdomadario lectore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

*De Hebdomadario Lectore.*

## CAP. XXVIII.

**M**ensis Fratrum edentium lectio deesse non debet: nec fortuito casu, qui acciderit codicem legere audeat ibi, sed lecturus tota hebdomada Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, ut auertat ab eo Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in Oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum; summumque fiat silentium ad mensam, ut nullius mustitatio, vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus, & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent Fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunque signi potius petatur quam voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio: nisi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere. Frater autem Hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter Communionem Sanctam, & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea autem cum Coquinæ hebdomadarius & seruatoribus reficiatur. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

1. (MENSIS FRATRVM.) Ad secundam mensam, vbi maior fuerit congregatio, non desit lectio.

2. (LECTIO DEESSE NON DEBET.) In Lectionibus primæ mensæ, hic ordo seruetur. Si dies illa proprium habuerit Euangelium, eius Homilia legatur. Item sermones super eo, iuxta dispositionem Superioris. Postea legantur passio Sanctorum: Postea de Biblia. In fine comesionis aliquid in vulgari legatur: vt Fratres Commissi Grammaticam ignorant, aliquid vnde edificentur habeant & spiritualiter pascantur. Et specialiter non omittatur lectio Regule in vulgari quæ lecta fuerit in Capitulo, cum tota integra Declaratione sua, quæ etiam ad secundam mensam repetatur. Cuiusmodi verò contigerit Superiorem in Conuentu legere, excepto Prelato is qui immediatè sequitur signa particularia faciat.

3. (ET COMMVNIONEM.) Ex eo quod hic B. pater Benedictus dicit, & infra in eodem Capitulo, ibi, propter Sanctam Communionem, ostenditur quod quolibet Dominico die Fratres communicabant: quod vt fiat hortamur, præsertim tempore quadragesimali, & Aduentus Domini, & in Festis præcipuis. Non tamè astringimus, præterquàm in prima Dominica mensis cuiuslibet, iuxta Clementinam, Ne in agro: nisi fortè ob reuerentiã alicuius Festi solennis differatur, aut præueniatur, huiusmodi Cõmunio, iuxta concessionem Domini Eugenij Papa IV.

4. Si quando autem Sacerdotes, propter infirmitatem, aut in die Cœnæ Domini, aut qui aliqua ex causa non celebrant communicare cõtigerit; iuxta Decretum Sanctorum Patrum, Oratorium semper

siu

siue Stolum super ambos humeros habeant, sicut quando celebrant.

5. Fiat autem dicta Communio statim post Communionem Sacerdotis, & Sacramentum statim post Communionem reportetur in locum suum antequam Missa finiatur.

6. Et cum Fratres omnes communicant, hortamur quod Prelatus audiat Confessiones omnium Fratrum non Sacerdotum, semel aut bis in anno, ad arbitrium suum, si commode id fieri potest. Similiter saltem bis in anno licentiam concedant Prelati omnibus Monachis, ut cui maxime voluerint, ex approbatis ad Confessiones, possint confiteri.

7. (PETAT AB OMNIBVS PRO SE ORARI.) Stet in medio Chori die Dominica post Sexam genibus flexis, versus altare, & ter dicto versu: Domine labia mea aperies, &c. & à Choro ter repetito, Superior dicat: Saluum fac, &c. Sicuti alibi particulariter notata sunt.

8. (INGREDIATUR AD LEGENDVM.) Facta benedictione Lector non incipiat, nisi fratres prius sederint ad mensam. Lecta verò breui particula lectionis, Superior faciat signum: post quod Fratres incipiant comedere, & hoc ut anima prius quàm corpus reficiatur: & in fine mensæ nemo exurgat, nisi prius responso: Deo gratias.

9. (VICISSIM) Hac vicissitudo intelligitur, quod quilibet legat vna septimana, alter alteri succedendo in hoc ordine.

10. (MIXTVM) Quod hic dicit mixtum, supra de septimanarijs Coquina, dixit singulos biberes, & panem: quorum verborum expositionem, vide ibi.